



Josephit, und andere Carmina Vol. II.

A. N. 75. Quart.

4.  
Ca  
8.9  
9.8  
10.6  
Ca  
14.  
15.  
16.  
Ca  
20.  
21.  
2.



44.6.  
77

NUPTIAS,  
VIRI  
DOCTRINA, VIRTUTE, GRATIA  
FLORENTISSIMI,  
DN. CHRISTIANI  
SCHROEDERI,  
ET  
LECTISSIMÆ VIRGINIS  
ANNÆ BENIGNÆ  
VIRI  
PER QVAM REVERENDI ET  
PRÆCLARISSIMI.

DN. FRIDERICI SCHENINGII,  
AD ÆDEM PRIMARIAM CONCIO-  
NATORIS MERITISSIMI,  
UNICÆ FILIÆ,  
VOTIS PROSEQVUNTUR  
FAUTORES, AFFINES, AMICI,  
RDI. MINIST. INVAR. AUG. CONF.  
ADDICTI, COLLEGÆ.

Typis VIDUÆ GEORGII RHETII,



PAX NEONYMPHIS

à  
J. C. D. N! Amen!

**F**estivitati gratulandum est; & quod micant,  
Lucentq; fata, lætò eundum pectore:  
Nec ponderanda tristitas hæc temporum,  
Dum vesper almus candidos gratà vice  
Lusus reducat; LEX ea casti paris:  
SCHRÖDERE, *docta mentis & Musæ DECUS.*  
*Apex juvenæ, flos coronæ Prusicæ,*  
Lumen BENIGNÆ pectoris, cui corculum  
Animæq; pars, portio, dulcis quies! ]  
O ille felix, ter quaterq; cui datum  
Sancire sanctam fidere optato fidem,  
Ut forte in omnî servet ausum æquabilem:  
Tutulisq; visis, non tumescat moribus:  
Sat visa, Sponso, nota mundi climata:  
Sequanæq; fluctûs, ac virum docta agmina  
[ EUROPA pronò, quos salutat lumine ]  
Mirata raram frontis, oris, gratiam  
SCHRÖDERIANI, Nestoris Borusfici.  
Jam portus instat; iam iuvat subducere  
Lectis carinam mercibus mentis catæ;  
Atq; in BENIGNÆ costæ amaræ nidulo  
ANNÆ beatum, cui dedit nomen, Pater;  
Soles beatos, DANTE JOVA, degere  
*Ergo benigno spectes hoc par lumine*

Rerum

*Rerum arbiter, castreꝝ thæda ignis sacer,*  
*Niveusq; preñset pepla flammis, Pax, sacra,*  
*Hygeta sasses, suggerat vires, decus*  
*Et sanitatis perpetis. κειμήλιον.*  
 Mare dum fluentes **VISTULÆ** forbens aquas  
**GEDANUM** alluit: convexa donec sydera  
 Concludit æther: donec undas cærulus  
 Pluviásq; sugat circulus, pacti fides.  
 Vovemus omnes: Et **SOCER, SOCRUS** piá,  
 Vos intueri posse vitæ initia,  
 Longùm auspicati temporis, curricula!  
 Vovemus omnes, Et **SOCER, SOCRUS** piá  
 Et plena votis corda, vestris dedita  
 Quæ commodis: **SCHRÖDERE, VIVAS, COSTULA,**  
*Vivat benigno, Gratia lumen, DEO:*  
 Curæ levamen, Sortis adversæ ferens  
 Autor iugalis fœderis, pacti sacri  
 Faxit beatæ prolis agmen ducier.  
*Hac sorte dignos iure vos censebimus,*  
**LUX TARDA, SERÒ TAM PARI LECTO MICET,**  
**OPTATI AMORIS ÆVITATEM FINIENS!**

*Honoris & calidi voti, E.*  
*nuncupab.*

**Johann: Botfaccus S.S. Theol. D.**  
 & ad ædem primar. Pastor.

**S***chöninge, Eusebien Te pulchrá mente beässe*  
 Dixi, quod dictum jam Themis ipsa probat.  
 Filia casta Tuo Thalamo succrevit, ut uva  
 Pendula fructifera vite, decora Patri.

Cui



Cui *formosa* brevi subdat sua colla Marito,  
 Quærendus focero est par probitate Gener.  
 Quàm bene Schröderum legis! isti sancta lavaeri  
*A Christo nomen tradidit unda sacrum.*  
 Intima quæ cordis *privas* divisit in aures  
 Vestras, Te pietas vera latere nequit.  
 Cui vigiles animæ *curas* commiserat, eius  
 Provida non *curet* Filia cara larem?  
 Eusebiæ decus es rutilum, Generumq; capeffis.  
 Qui simul Eunomiæ nobile sidus erit.  
 Sic Themis Eusebiæ *perpulchra* glutine juncta.  
 Conjugibus spondet fata *benigna* novis.  
 Dum *gener* evolvit sinuosa volumina Juris,  
 Fausta Polo *foceri* fert benedicta Manus.  
 Lætisonis animate metris, votisq; *benignam*  
 Lucem, quâ Thalamum Sponsa BENIGNA subit.  
 Nomine qui *Christum*, qui toto corde *facetur*,  
 ANNA BENIGNA foret Sponsa *benigna* viro!  
 Pacificâ veniat *Friderici* sede virago,  
 Circumdetq; novam perpete pace domum!  
 Schönungus *pulchri* pepigit qui foedera lecti,  
 Multra Thori videat pignora *pulchra* senex!

ita

Viro Admodum Reverendo Clarissimoq; Dn. M. Friderico Schönungio *Edis*  
*Parochialis Symmystæ*, Dn. Collegæ & Fratri in Christo, honorando, quàm lectis-  
 simam pudicissimamq; Filiam Annam Benignam Viro Clarissimo Dn.  
 Christiano Schrödero, Mense Julio, Annoq; Christi, quem  
 prodit hoc Chronodistichon:

Cui

Anna



Anna Benigna thoro forMoso nata, Schrödero  
Lata, pio Sponso Fata benigna ferat!  
desponsaret, acclamat

Johannes Maukisch, SS. Theol: Doctor, Pro-  
fessor Publicus, Gymnasii Gedanensis Rector, &  
Pastor SS. Trinitatis.

*Ad Pl. Reverendum Dn. Collegam atq. in Christo Fra-  
trem conjunctissimum; cum Filiam unicam nuptui collocaret Ju-  
veni florentissimo, Domino*

Christiano Schrödero.

**F**ilius ante annos aliquot Tibi dulcis obibat,  
Cum magnam de se spem daret ille Patri.  
Nunc Tibi coelestis, mi Frater, gratia Natum  
Reddit, & ex luctu gaudia magna creat:  
Filia Schrödero Tua dum dulcissima nubit,  
Qui Juvenum dici se sç. decusq. potest.  
Sic oblivisci veteris Deus ipse doloris  
Te fecit, plausu letitiâq. beans.  
Nos, Euge! ex imo clamantes pectore, tota  
Pergimus, ut par est, voce rogare DEUM,  
Sospitet ut Sponsum clemens, Sponsamq. novellam  
Et jubeat fati cedere cuncta bonis.  
Utq. pij vobis dent gaudia mille Nepotes,  
Tu quoq. cum charâ Conjuge vive diu.

Ita ex animo precabatur

Nathanael Dilgerus.

Hacte.



**H**actenus egregias Artes, Schrödere, secutus,  
 Et quicquid Juvenem condecorare potest.  
 Si svaes mores, Latæq; oracula lingvæ,  
 Si celebre ingenium quæris & eloquium,  
 Vel lustrasse oculis Gentes, Legumq; peritum,  
 Undiq; non paucis anteferehdus eris.  
 Nunc scandis thalamum inflammatus amore Puellæ,  
 Pro Sexu, haut multum doribus absimili.  
 Hæc inter librorum pulpita Nata, subinde  
 His incumbentem non fugiet Socium.  
 Dignus eras Lauro, at satis est, ex flore Corollam.  
 Ipsius è teneris accipere ungviculis.  
 Quod Te delectet, quæris, Secumq; loquenti  
 Mille animo instillet mellea verba modis.  
 Væ Soli! dictum est, idq; hac ratione, Cadenti  
 Labentiq; feret sponte quis auxilium?  
 Meq; optaturum credis, quò fida columna  
 Stanti, labenti Sponsa sit Imo precor.  
 Ultra intendo aliud, quod Te Socerumq; hilarabit,  
 Me mea nec fallet spesq; animusq; puto.  
 Quæ sapis, haut Soli sapias; nec tempore quovis  
 Solum cum Solâ Te sinat esse DEUS!

*In gratiam honoremq; Dni. Sponsi, Affinis exoptatissu  
 mi, ut & BONI OMINIS ergo  
 decantabat*

Johannes Jacobus Cramerus,  
 ad D. Johan. Pastor.

Epi-



Epigramma Votivum.

**D**um tibi tot Juvenum cœtus, Neonymphe, precatur,  
Quid faciam, tibi nunc quæ bona verba feram?  
Vota precesq; dabo, quas jam pro munere habeto;  
Scilicet ut captum Numina sancta beent.  
Vivite felices, longam traducite vitam,  
Sit sine lite Domus, non sine prole thorus.  
Hoc mihi sit Vobis votum; DEUS ipse precantem  
Audiat, & dictis pondus inesse sinat.

ἐκ τῆς παραχρημα

M. JOHANNES FABRICIUS  
Templi Cathedralis ad S. Kathar.  
Pastor.

**E**xoptata dies, & votis digna secundis,  
Quæ pia Schrödero ducitur Vxor, adest.  
Unica Schrödero Scheningl Filia nubit,  
Nomina quot nobis sunt Ea Cara modis?  
Sponsa sui sexûs Decus, & nitidissima Gemma,  
Quam Virtûs ornat, quam Charitesq; colunt.  
At Sponsus, carum musis Caput, atque Themistæ  
Et veteri nobis junctus amore diu.  
Quid Soceri dicam dotes, Oracula Sancta  
Pudentem Populo quem sacer Umbo stupet?  
Ah!



An! quæ nascetur tali de sanguine Proles?  
Quàm felix semper Copula talis erit?  
O faveat, faveat Thalamo ter Maximus Author,  
Et cumulet cunctis tam pia pacta pacta bonis!

*Honoris & Amoris ergò app.*

M. Michael Falck / Pastor Bar-  
tholomæitanus & Gymn: Prof.

JUNGITUR EXIMIO SCHROEDERO BELLA VIRAGO.  
PROSPERITAS SPONSO, SPONSÆ, ADSIT UTRIQUE  
PARENTI!

REV. ADM. EXCELLENTISS. QVE.

DN. FRIDERICO. SCHÖNINGIO.  
THEOLOGO. GRAVISS. ET. MERITISS.  
COLLEGE. IN. AED. MAR. CONJUNCTISS.  
HONORATISS.

DE. PRÆCELLENTI. GENERO.  
ET. HUIC. AMICO. VETERI.  
DE. FELICI. CONJUGIO.  
BREVI. HOC. METRO. SED. PROLIXO. AFFECTU.  
GRATULABATUR.

GEORGIUS. FHELAVIUS.

Quando Tibi casto jungit, *Schrœdere*, cubili  
*Schœningam*, auspicio prosperiore, Deus;  
Illa puellaris princeps *Schœninga* Coronæ,  
Heic ubi Gdanenses Vistula ferre rates  
Assolet, haud nequeo Tibi carmine fausta precari  
Pauco, quæso hilari non sine fronte cape.

Tz.



Tædas hæcæ Tuas tædarum Ihovæ secundet.

Author, & optatâ prole ferace beet;  
Felix sit thalamus, Pylîi vivatis in annos  
Longos, longævi sint sine nube dies.

*Sic conjugium jucundum secundum & fecundum  
animitus vovet.*

Johannes Albinus.

Quid Schrödere tibi, noctes cum sedula longas  
Musa tibi teneret, dic mihi mentis erat?  
Eç sitim cupidus cupidam cum fonte levares  
Castalio, quam tunc mens ab amore procul?  
Virtutem Celsumq; decus per mille labores  
Quærebas, ardens nil nisi, Sponse, Themis.  
Unde recens flamma est? quam nunc mutatus ab illo?  
Nobile cur ignem pectus amoris alit?  
Desino mirari, Chariti quis, quæso, Benignæ  
Numne resistendo est? quod mage, numne DEO?  
Grata DEI hæc flamma est, Castè qui jungit amantes,  
Gratus amor, grato gratia grata DEO.  
Maçte tuo Schrödere Bono, virtute deçora  
Sponsâ venit, doses quam meruere tuæ,  
Maçte tuo celebri Dono, tam nobile Donum  
Conciat Themidos gloria magna tibi,  
Gaudia Parnâsids lætus se in vestra resolvit  
Transmittunt Musæ talia vota, preces:  
Salve delictum Themidos, doctumq; Corona,  
Salve Pieridum gloria, flos, & amor.  
Salve delictum Charitum, virtutis alumna,  
Salveto multum nobile par, quod amas,

Vivi-



Vivite felices, felici scedere juncti,  
Fausus sit vobis omnis in orbe dies.

*Honoris ergo apposita*

WILHELMO SCHLOTIO,

ad D. Joh. Diac.

**M**Unera quò mancant Socialia pectora magna,  
*Dic, fac, (sca dium) concinuisse placet.*  
Sit Deus alme tuum *dic, fac,* pro munere Sponsis,  
Omnia qui potis es dicere vel facere.

Indè precor: Tu *dic, fac,* tu quoq; summe Jehovah,  
Ut quæ fundo pie, sint rata vota mea.

Te rogo, quò Nuptis benè sit, Pater optime, supplex:  
Illis per Jesum *dic* benè, *facq;* benè.

*Dic,* benè sit semper Sponsis dulcissime Jesu:  
Illis æternùm, *fac,* benè Christe fier.

Tu Sponsis *benedic, benefac* Venerabile Flamen.  
Hæc, rogo, Sancta Trias, *dic, fac,* ut eveniant.

*Sic dicturum & facturum Deum Trinum O.M.  
in fide Jesu haud dubiè sperat*

FRIDERICUS ZWICKER,

Diac. ad D. Barth.

**S**electo sertum neonymphis nectore flore  
ut sit virtutum tessera, turba solet.  
Sed modò perraræ virtutis NOBILE COMPAR,  
vertice digna tuo, quis tibi ferta leget?

Cœ-



Cœlesti TRIADI munus committimus illud,  
dona sua in nobis quæ redimere potest.  
Hæc vos millecuplæ bonitatis flore coronet,  
nec sit, quâ tertium finiat, ulla dies.

ἰλαξίως hæc precatur

CHRISTOPHORUS PAMBIUS,

ad SS. Trinitat. Eccles.

Christianus Schroederus Dantiscanus

*per anagramma*

Deus Sanctus his Charis nunc adsit rore.

Quæ tua fit virtus SCHR OEDERE sonora per oras,  
cantabunt alij carminibus varijs.

*Belga* dabit Carmen, *Germanus* & *Italus*, atq;

*Gallus* pulsabunt dulcia plectra lyræ.

Quos invisisti, quæ nota est solida virtus

Et rerum γνώσις, te celebrem faciens.

Hoc tantùm dicam: Quàm præmia magna capes sis

Gaudia dum thalami percipis eximij.

Sponsa tibi suavis Virtute & honore corusca

Jungitur, & cordis portio Chara datur

Quæ trahit orta suum, claro cognomine sponsa,

Nomen & omen habens, ANNA BENIGNA, genus,

A Patre SCHENINGO, (qui Theiologus sine lite

Dicitur excellens, & pietate gravis.)

Hanc



Hanc adamas *Charam* sincero vinculo amoris,  
Te *Charum* hæc redamat federe juncta *Sacro*.  
His *Charis* adsit *Sanctus Deus* omnia rore  
Implens mellifluo, noxia cuncta fugans  
Rore suo thalamo *Deus adsit*, Rore benigno  
Repleat & cingat *Sanctus* ubiq; domum.  
Conjugium felix hoc sit, maneatq; per annos  
Nestoreos, absint tristia fata thoro.  
Sit *CHRISTIANE* tuus *CHRISTUS* protektor ab *Axe*  
Sitq; *BENIGNA* tibi *Jova* benignus *Amen!*

Ita

*Dno. Sponse, suo quondam in Scholâ & Academiâ commilitoni,  
nunc Fautori & Amico colendo, Ejusq; dilectissima Sponse  
animitus gratulari voluit, debuit*

**ABRAHAM HEYSEUS**  
Templi S.S. Trinitatis Eccles.

☞ (o) ☞





44.4  
77

NUPTIAS,  
VIRI  
DOCTRINA, VIRTUTE, GRATIA  
FLORENTISSIMI,  
DN. CHRISTIANI  
SCHROEDERI,  
ET  
LECTISSIMÆ VIRGINIS  
ANNÆ BENIGNÆ  
VIRI  
PEROZAM REVERENDI ET

